

titudinem mereri, nisi prius gratia habituali formatos. Ita plane sentit D. Tomas 1. 2, quæst. 109, art. 5, nam de gratia habituali loquitur, cum dicit non posse hominem mereri vitam æternam sine gratia, ut ex discursu quæstionis et articulorum manifeste constat. Et quamvis non loquatur distincte de homine in natura integra, nihilominus ex eo quod indistincte loquitur de homine, recte colligimus idem asserere de homine in utroque statu; tum quia in cæteris articulis distinguit illos status, quando responsio non est communis utrique; tum etiam quia ratio, quam affert, communis est utrique statui. Unde postea, quæst. 114, art. 2, expresse distinguit utrumque statum et duas rationes necessitatis gratiæ ad hoc meritum: unam ex peccato, aliam ex excellentia finis vitæ æternæ; et hanc posteriorem dicit esse communem utrique statui hominis, imo et omni naturæ creatæ. Et ita in prima parte, quæst. 62, eandem necessitatem in Angelis ponit, si art. 3 et 4 simul jungantur. Et idem sentiunt communiter cæteri Theologi, et ex modernis, distinguendo etiam utrumque statum, Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 12, et Vazquez 1. 2, disput. 216, cap. 1. Fateor tamen sola ratione non satis aperte convinci.

11. *Secundo, suadetur ab incommodo.* — Prima ratio sumitur ab inconvenienti, quia alias posset creatura mereri de condigno divinam filiationem adoptivam; consequens est absurdum; ergo. Sequela profecto evidens est, ut probat discursus in contrarium factus. Sed falsitas consequentis solum probatur, quia in Scriptura gloria vocatur merces, non autem gratia, ut notavit Augustinus, epist. 105. Hæc autem probatio et sola auctoritate nititur, et præterea responderi posset Scripturam et Augustinum loqui de hominibus lapsis. Nihilominus tamen illud principium, quod prima habitualis gratia non cadat sub merito de condigno, receptissimum est, ut infra videbimus, ideoque illud pro nunc supponendo, recte ex illo principio a posteriori colligitur nullum actum antecedentem ad gratiam habitualement, sive tempore, sive natura, posse illam de condigno mereri. Sed hujus rationem querimus.

12. *Tertio, a priori.* — *Instantia.* — Secunda ratio a priori est, quam tradit D. Thomas, et sequitur Bellarminus cum aliis, quia finis æternæ beatitudinis excedit naturalem facultatem omnis intellectualis naturæ crea-

tæ, et ideo ad meritum illius necessaria sunt opera ejusdem ordinis divini; ergo etiam requiritur gratia, quæ est talium operum principium. Nam de his dixit Dionysius, de Eccles. Hierar., cap. 2, part. 1, non posse hominem facere divina, nisi prius ipse divinus efficiatur; et Augustinus, lib. 1 contra duas Epist. Pelag., c. 2, homines non recte vivere, utique in ordine ad illam beatitudinem, nisi sint effecti filii Dei. Sed instari potest, quia hæc ratio probat optime necessitatem alicujus gratiæ operantis supernaturale opus illi fini proportionatum. Cum autem hæc gratia esse possit vel actualis vel habitualis, non videtur inde sufficienter concludi necessitas determinata gratiæ habitualis, quam inquirimus. Hanc vero difficultatem facile effugient, qui dicunt dispositionem ad gratiam procedere ab ipsa gratia; sic enim optime concludit ratio de gratia habituali, quia ipsa est principium necessarium operis meritorii. Nos autem non possumus juvari hac sententia, quia de dispositione ad justificationem, prout nunc fit, falsam esse supra probavimus, lib. 8, cap. 12, et rationes ibi factæ non minus probant de justificatione pura, sed quæ non fit ex statu peccati, si dispositio talis est ut vere præparet subjectum ad formam gratiæ, sitque vera causa illius in suo genere.

13. *Modus alius solvendi probabilis, sed valde incertus de facto.* — Posset autem negari primam justificationem Angeli vel hominis innocentis, factam esse hoc modo, media dispositione præparante personam ad gratiam, sed dispositione potius comitante et ornante, per quam persona voluntarie acceptat gratiam sibi collatam, per eandem operando. Et hoc posito, optime procedit ratio, quia tunc habitualis gratia est principium actus, a quo potest in tali persona incipere meritum. Et ideo etiam dici potest illa gratia necessaria ad meritum in tali persona, saltem secundum legem ordinariam, fundatam in ipsa rei natura, quæ per se postulat ut elevatio inferioris naturæ ad opera superioris naturæ seu divini ordinis fiat per intrinsecam participationem superioris naturæ. Quod si nunc aliter fit in justificatione peccatoris, id contingit propter impedimentum peccati, a quo homo adultus prius debet averti, ut gratiam possit recipere. Et hic modus probabilis est, et in rigore sufficiens ad salvandam hanc necessitatem de lege, supposito illo principio. Verumtamen illud principium val-

de incertum est; quia, licet non sit ita certum Angelos, et hominem in statu innocentiae, justificatos fuisse per propriam dispositionem præparantem ad habitualement gratiam, et suo modo causantem illam, sicut nunc est in justificatione peccatoris, nihilominus est fortasse probabilius quam oppositum, quia ille modus præparationis et justificationis est valde consentaneus naturæ intellectuali et liberæ, et est etiam consonus suavi providentiæ Dei, ac denique est valde receptus a Theologis, ut ex 1 part. constat; et nihilominus concedendum non est ex illa sententia sequi, Angelos vel hominem in dicto statu habuisse meritum de condigno ante gratiam, etiam ordine naturæ, aut quod inde necessario sequitur meruisse de condigno ipsam gratiam.

14. *Verior solutio dicte instantiæ.* — Quamobrem conandum est rationem reddere, propter quam primus actus supernaturalis factus ab Angelo vel homine in illo statu, prius natura quam haberet gratiam habitualement, non potuit esse meritorius de condigno vitæ æternæ. Ratio autem quæ occurrit, solum est, quia talis actus etiamsi supernaturalis sit, adhuc non est satis proportionatus illi fini supernaturali. Quod ut probem, suppono moralem actum valorem etiam et dignitatem moralem accipere a conditione personæ operantis. Hoc patet primo ex morali philosophia, quia persona operans est una ex circumstantiis operis, quæ bonitatem ejus vel malitiam aggravare solet. Secundo, habemus certum theologicum exemplum in operibus Christi Domini, nam ex dignitate personæ habuerunt proportionem et infinitum valorem ad merendum. Tertio, hac ratione dictum videtur Genes. 4: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus*, ad indicandum, ut ait Gregorius, 22 Moral., cap. 8, alias 12, non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuisse. Et inter homines etiam constat qualitatem personæ multum referre ad æstimationem doni, beneficii aut obsequii ab illa oblata. Hoc ergo principio supposito, dicimus ad meritum de condigno vitæ æternæ non satis esse quod operatio in se, et (ut sic dicam) in sua substantia considerata proportionem habeat cum vitæ æternæ, sed necessarium etiam esse ut procedat a persona illi fini proportionata, atque adeo quod etiam ex habitudine ad personam operantem habeat condignitatem ad illum finem quasi completam. Nulla autem creatura intellectualis pure sumpta habet proportionem cum æterna vita, et

ideo, licet eleventur per auxilium ad supernaturaliter operandum, quantum ex se est, non confert operi condignitatem respectu tam excelsi præmii. Et hoc confirmant illa testimonia Scripturæ, quibus probavimus neminem posse mereri de condigno vitam æternam, qui non supponatur filius et hæres ejusdem vitæ æternæ, quia cum in se non habeat naturam illi fini proportionatam, non habet dignitatem personæ tali merito proportionatam. Et hoc magis in sequenti dubitatione declarabitur.

15. *Dubium an necessitas gratiæ habitualis ad meritum sit omnimoda?* — Quæri enim hic solet an hæc necessitas gratiæ habitualis ad meritum de condigno vitæ æternæ intelligenda sit tanquam de lege ordinaria, seu ex natura rei, vel etiam de potentia absoluta. Aliqui enim absolute affirmant utroque modo esse intelligendum, quod sentit Ferrar., 4 contra gent., cap. 157, in fine, ita interpretans divum Thomam, et citans Capreolum in 1, distinct. 17. Potestque hæc opinio fundari in discursu facto, quia gratia est quasi forma complens operis condignitatem et proportionem; ergo sine illa non potest esse opus proportionatum, neque habere valorem ad meritum de condigno. Alii vero absolute negant esse gratiam habitualement necessariam ad hoc meritum de potentia absoluta, quod tenet Cajetanus 1. 2, quæst. 114, articulo secundo; et sumitur ex Scoto in 1, distinct. 17, quæst. 2; et Gabriel., ibidem, quæst. 2; et Marsil., in 1, quæst. 20, qui generaliter loqui videntur, etiam de operibus non factis ex auxilio gratiæ, et factis ab homine qui antea erat in peccato, et solum videntur fundari, quia Deus ordinatione et acceptance sua potest suppleri id, quod nunc per gratiam creatam confert. Nos vero nunc loquimur de operibus procedentibus ab auxilio gratiæ, et ex substantia seu qualitate sua habentibus cum præmio proportionem, nam de operibus inferioris ordinis infra dicemus.

16. *Auctoris iudicium distinguens.* — Sic ergo distinguendum censeo juxta duos sensus assertionis positæ in num. 3. Nam, si homo supponatur in statu peccati, et remissionem ejus fieri formaliter per inhærentem gratiam habitualement, et non aliter, sic censeo non posse talem hominem etiam de potentia absoluta mereri de condigno vitam æternam sine habituali gratia; quia sine illa non aufertur peccatum, ut supponitur; quamdiu autem manet homo sub peccato, est

prorsus incapax meriti de condigno apud Deum, propter rationem factam, quod non potest simul esse ex rigore justitiæ dignus indignatione Dei et carentia beatitudinis, et simul amorem Dei et beatitudinem de justitia mereri. Dixi autem supponendum esse peccatum auferri per habituales gratiam, et non aliter; nam si supponatur quod Deus alio modo vere auferat peccatum, tunc judicandum esset de tali homine, sicut de innocente, qui nunquam peccasset. Loquendo ergo juxta secundum sensum assertionis de homine vel Angelo innocente, existimo necessitatem gratiæ habitualis ad meritum non esse intelligendam de potentia absoluta, sed de ordinata, et attentata talium rerum natura. Ratio est, quia, supposita in tali persona conversione supernaturali ex auxilio gratiæ, solum deest tali operi quædam moralis dignitas, quam haberet ex habitu dine ad personam operantem, si esset sanctificata per gratiam; hæc autem carentia perfectionis vel non est tanta, quin, supposito pacto et promissione Dei sub conditione talis operis, in illa sufficiens proportio et condignitas inveniatur, quamvis non esset undequaque perfecta et quasi connaturalis, vel certe posset Deus sua extrinseca ordinatione illum quasi defectum sufficienter supplere, quia necessario elevaret hominem illum ad eum statum, in quo consequi posset vitam æternam, si quod in se est faceret cum auxilio sibi præparato; ille autem status ad dignitatem moralem talis personæ pertinere censeretur, imo ad quamdam illius sanctificationem. Nam in superioribus ostendimus hoc totum posse Deum facere de potentia absoluta sine habitibus inhærentibus, vel per solos actus; ergo id etiam satis esse posset ut actus supernaturalis a tali homine factus redderet illum dignum vitæ æternæ, et consequenter ut esset meritum illius. Et hanc partem sequuntur frequentius moderni Thomistæ in d. quæst. 114, art. 2. Et inde tandem intelligitur cur dicatur gratia habitualis, ex lege ordinaria et quasi connaturali, esse necessaria ad hoc meritum, quia nimirum nec sanctificatio personæ, neque ordinatio ejus ad beatitudinem secundum statum præsentis temporis fit modo connaturali, nisi per inhærentem gratiam habituales, ut in lib. 7 visum est.

17. *Ad Baii fundamentum in num. 1. — Ad primam confirmationem ex Scriptura. —* Et per hæc satisfactum est rationibus dubi-

tandi circa hanc posteriorem partem a nobis propositis. Negamus enim esse in actu etiam supernaturali, seclusa gratia personæ operantis, sufficientem proportionem et valorem moralem ad meritum de condigno. Idemque responsum evidentius applicatur ad fundamentum Baii; negamus enim tantam proportionem esse in actu peccatoris ad meritum, quanta est in opere justi, etiamsi ex parte operis sit æqualitas in his quæ ad substantiam, vel honestatem, aut libertatem actuum pertinent, solumque sit diversitas in conditione personæ, ut jam probatum est. Ad loca vero Scripturæ, respondemus imprimis non oportere ut Scriptura in singulis locis explicet omnes conditiones ad meritum necessarias, et ita in illis locis, licet tantum exprimat necessitas operum, non excludi necessitatem gratiæ, quæ in aliis locis docetur. Deinde addimus opera esse quasi proximum (ut ita dicam) subjectum meriti et demeriti; nam illa quasi formaliter constituunt hominem dignum præmio vel pœna, et ideo merito dicuntur homines judicari secundum opera. Hoc autem non obstat quominus ipsa opera ex circumstantiis personæ operantis augeri possint vel minui in valore morali ad meritum vel demeritum necessario. Unde in comparatione, quæ ulterius fit inter meritum et demeritum, partim falsum assumitur, partim non recte colligitur. Absolute namque falsum est conditionem personæ non conferre ad meritum, nam peccatum, commissum a persona publica vel digniori, ex ea parte gravius esse solet. Deinde non est eadem ratio de merito et demerito, quia meritum habet rationem boni, et ideo plura et perfectiora requirit, et quod omnia simul concurrant, quia bonum ex integra causa; ad demeritum autem, quod habet rationem mali, quilibet defectus sufficit. Et ideo ad demeritum necessarium non est ut persona supponatur justa vel injusta, quia in ipso actu peccati est sufficiens defectus ad expellendam justitiam, si præerat, vel ad augendam injustitiam, si jam præcesserat; in merito autem speciali ratione dignitas personæ requiritur, ut diximus; eo vel maxime quod homo per se ad peccandum sufficit, ad merendum autem minime, nisi prius a Deo sanctificetur.

18. *Ad secundam confirmationem ex Augustino. —* Ad primum testimonium Augustini, respondetur ipsum, in illo cap. 6, non loqui

de lege naturali, prout dicitur esse in naturali lumine rationis, sed de lege incommutabili et æterna, prout est in mente Dei, quæ complectitur etiam illam legem, quam dicere possumus esse connaturalem gratiæ. Unde per illam legem absolute et generaliter statutum est ut debite præmia condignis meritis reddantur; tamen illa eadem lex aliud meritum, et cum aliis conditionibus statuit necessarium ad præmium vitæ æternæ, quam ad alia inferiora et humana, atque ita est ad singula juxta uniuscujusque conditionem applicanda. Ad aliud vero testimonium, ex lib. de Natur. et grat., cap. 2, respondetur intentionem Augustini eo loco esse ostendere contra Pelagianos, non posse hominem per suæ naturæ vires totam legem implere, et omnia peccata vitare, quia alias Christus gratis mortuus esset, quam illationem cum Paulo fecerat in cap. 1. Illam autem probat in secundo, supponendo illam hypotheticam propositionem, quod si homo potest sibi sufficere ad servandam totam legem et implendam justitiam, etiam sibi sufficere ad præmium vitæ æternæ obtinendum. Unde falso putatur sensisse Augustinum observationem legis sine gratia sufficere ad meritum vitæ æternæ, cum potius hoc inferat tanquam inconueniens contra Pelagium, supponendo aliud principium, quod ex verbo Christi certum est, servantem mandata ad vitam ingredi sempiternam; tamen hoc ideo est, quia, ut serventur mandata, præcedit gratia, ut idem Augustinus dixit, lib. 2 contra duas Epist. Pelag., cap. 2, et in aliis locis supra citatis.

CAPUT XV.

UTRUM AD MERITUM NECESSARIUM SIT HOMINEM ESSE VIATOREM?

1. *Communis sententia affirmans. —* Quomodo Scriptura probetur. — Conveniunt fere omnes Theologi, unam ex conditionibus necessariis ad meritum ex parte personæ merentis esse statum viatoris. Ita docet D. Thomas, 1 p., quæst. 62, art. 9, et 3 part., quæst. 1, art. 3; Alexand. Alens., 3 p., quæst. 17, art. 2, in corpore, et communiter Theologi in 3, distinct. 18, tractando de Christi merito; Bonaventura, artic. 1, quæst. 2, ad ult.; Scotus, quæst. unic., in fine corporis, ante § *Est igitur*; Durandus, quæst. 2; Gabriel, quæst. 1, art. 1, notab. 2, licet addat limitationes quas infra expendemus. Idem repetit

artic. 3, dub. 1, ad 3, et dub. 4. Idem Albert., ibi artic. 2, ad 1 et 3; Richardus, art. 1, quæst. 1; Almain., Argentin., et alii; et Marsilius, quæst. 12, artic. 1. Et restringendo quæstionem ad homines, prout nunc mereri possunt de condigno apud Deum, colligitur hæc resolutio ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur judicandos esse homines, et accepturos præmium vel pœnam, secundum opera quæ in corpore fecerunt. Item illa quæ monent ante mortem vel usque ad mortem justificari, seu opera justitiæ facere, ut Ecclesiast. 11, 14 et 18, et aliis similibus, quæ cum testimoniis Patrum retuli, 3 p., tom. 1, disput. 39, sect. 3, post 3 conclus., quibus addi potest Hieronymus in Epist. 151 ad Algasiam, quæst. 6, ubi tractat parabolam de villico, Luc. 16, et colligitur ex verbis illis conclusionis parabolæ: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; et idem Hieronymus, Eccl. 9, tractans illa verba: *Melior est canis vivens leone mortuo*, sic exponit: *Donec vivunt homines, posse fieri justos; post mortem vero nullam boni operis dari occasionem*; et iterum infra: *Viventes possunt bona opera perpetrare, utique meritoria, mortui vero nihil valent ad id adicere, quod semel secum tulere de vita*; et apud Prosperum est sententia Augustini 172: *Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit*. Et propterea etiam videtur Christus Dominus dixisse, Joan. 9: *Venit nox, quando nemo potest operari, utique meritorie, et cum fructu; per noctem enim mortem, seu statum post mortem intelligit; dixerat namque: Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est*, ubi per diem intelligit tempus præsentis vitæ suæ mortalis, ut cum Augustino et aliis ibi notat Maldonat., in qua etiam ipse tantum meruit. Unde in eodem sensu adjungit generalem sententiam, neminem posse in nocte operari. Vide Chrysotomum, homil. 2 de Lazaro, et homil. 73 in Matt. Ratio autem hujus veritatis pendet ex sequenti dubitatione.

2. *Ut ratione probetur, discutitur quid status viæ sit. —* Oportet igitur exponere quid per statum viæ intelligendum sit; nam si hoc non constet, neque ratio propria reddi potest cur talis status ad meritum requiratur, nec etiam explicari poterit quantum duret tempus merendi, quod per hanc conditionem præcipue intenditur. Igitur generaliter loquendo de via et termino, tempus viæ pro-